

Lex nova pro omnibus lata est, ideoque obligat omnes, quibus nota est. Sic enim Christus, Matth. 28. 19. 20.: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc...*, *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*

## CAPUT II.

## DE LEGE ECCLESIASTICA ET CIVILI.

## ARTICULUS I. — DE LEGE ECCLESIASTICA.

125. — Lex ecclesiastica dicitur, quae pro recta Ecclesiae gubernatione et aeterna animarum salute a potestate ecclesiastica fertur.

Collectio variarum legum ecclesiasticarum Ius canonicum constituit.

Corpus Iuris canonici sex constat partibus, tria volumina constituentibus. Sunt autem: *Decretum Gratiani*, *Decretales*, *Sextus*, *Clementinae*, *Extravagantes Ioannis XXII*, et *Extravagantes communes*.

I. *Volumen* continet Decretum a Gratiano, monacho Benedictino, collectum, et anno 1151 publicatum sub titulo: *Concordantia discordantium Canonum*. Opus distribuitur in tres partes, quarum prima de personis ecclesiasticis tractat, secunda de actionibus seu de materia et forma iudiciorum, et tertia de rebus sacris.

*Prima pars* dividitur in centum et unam distinctiones, quae subdividuntur in capita seu canones. Sic indicari solet: cap. *Ieiunium* 7. dist. 76.; vel etiam dist. 76. cap. 7.

*Secunda pars* dividitur in triginta et sex causas; causae autem dividuntur in quaestiones, et quaestiones in capita. Citatur modo sequenti: cap. *Qui viderit* 13. quaest. 5. causa 32.; vel caus. 32. qu. 5. c. 13. tract. *de Poenitentia*, septem habens distinctiones, sic citatur, v. gr. cap. *Mensuram* 86. dist. 1. *de Poenitentia*, vel *de Poenit.*, dist. 1. c. 86.

*Tertia pars* constat quinque distinctionibus, quae in varia capita dividuntur. Citantur: cap. *Est unitas* 49. dist. 4. *de Consecrat.* vel *de Consecrat.* dist. 4. c. 49. Haec enim pars de consecratione Ecclesiarum, altarium, etc., tractat.

II. *Volumen* continet Decretales a Gratiano omissas, vel post ipsum editas, a S. Raymundo de Pennafort, Ordinis Praedicatorum, iussu Gregorii IX collectas et anno 1230. publicatas. In quinque dividitur libros, qui habent titulos et capita; hoc autem modo citantur: cap. *Pervenit* 28. *de Appellationibus*, vel *Decretal.* lib. 2. tit. 28. c. 28. Caput posteriori hoc modo indicatum multo facilius invenitur.

III. *Volumen* continet librum Sextum, Clementinas, et Extravagantes tum Ioannis XXII, tum communes.

*Sextus*, vel liber sextus Decretalium, sic appellatur, quia quinque libris

Decretalium Gregorii IX adiicitur, et Decretales a Gregorio IX usque ad Bonifacium VIII. editas habet. Prodiit anno 1298. auctoritate Bonifacii VIII.: dividitur in quinque libros, qui etiam habent titulos et capita. Eodem modo citatur, sed additur, *in Sexto*, vel *apud Bonifacium*.

*Clementinae*, sic dictae a Clemente V., qui eas colligi iussit post Concilium Viennense, cui anno 1311. praefuit, sunt Constitutiones ab ipso Clemente vel a Concilio Viennensi editae. Eas Ioannes XXII. promulgavit anno 1317. in quinque libris, qui non secus ac Decretales et Sextus, titulis et capitibus constant. Eodem modo pariter citantur, sed additur *in Clementinis*.

*Extravagantes Ioannis XXII.* sunt Constitutiones, quas ipse prioribus annis pontificatus sui edidit. Sic vocantur, quia extra corpus iuris hucusque collectum vagantur. Sic indicari solent: *Extrav. Ioannis XXII.*, tit. 4. c. 1.

*Extravagantes communes*, ita vocatae quia a Ioanne XXII et a pluribus aliis Pontificibus editae sunt, et ipsae in quinque dividuntur libros, qui habent capita cum titulis, sed non numeratis. Sic ordinarie citantur: cap. *Vas electionis*, *de Haereticis*; *Extravag. communib.* seu *Extrav. comm.* lib. 5. *de Haereticis*, c. 2.

Aliae Conciliorum Constantiensis et Tridentini, ac Pontificum Romanorum Constitutiones postea editae sunt, sed in corpus Iuris nondum fuerunt collectae.

126. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quaenam sint Romanae Congregationes, earumque officia varia?*

*Resp.* Enumerantur sequentes: Congregatio Concilii, Congregatio Episcoporum et Regularium, Congregatio de Propaganda Fide, Congregatio sacrorum Rituum, Congregatio Indicis, Congregatio S. Officii, Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum, Congregatio Immunitatis.

1<sup>o</sup> *Congregatio Concilii* (Tridentini) seu *Cardinalium*. Tota constat ex Cardinalibus, qui *Patres S. Concilii Tridentini interpretes* dicuntur, et quorum unus titulo *Praefecti Congregationis* insignitur. Pius IV. pro Concilii Trid. observantia hanc primum instituerat; postea vero, rerum exigentiis motus Sixtus V. decreta Concilii, in iis quae ad morum aut disciplinae reformationem pertinent, et dubia videntur, etiam interpretandi potestate donavit.

2<sup>o</sup> *Congregatio Episcoporum et Regularium*. Tota et ipsa ex Cardinalibus coalescit. Duo, ut nomen indicat, suscipit tractanda: ea nempe quae respiciunt bonam dioeceseon totius orbis catholici administrationem, et quae ad Regularium utriusque sexus controversias, litesve, secundum sacros Canones, cognoscendas et dirimendas pertinent.

3<sup>o</sup> *Congregatio de Propaganda Fide*. Ex solis Cardinalibus conflatur,



Tota est in procuranda propagatione Fidei per orbem terrarum. Collegium dictum *de Propaganda Fide*, pro efformandis Missionariis, ab *Urbano VIII.* Romae fundatum, ad eiusdem curas pertinet.

4<sup>o</sup> *Congregatio sacrorum Rituum.* Praeter Cardinales, etiam Consultoribus Praelatis vel Regularibus constat. Liturgiam sacram, et quae ad eam pertinent, definit et ordinat. Examen quoque causarum *Beatificationis* et *Canonizationis Sanctorum* inter eius officia commemoratur.

5<sup>o</sup> *Congregatio Indicis* a S. Pio V. instituta. In ea locum habent Cardinales et alii plures docti viri. Unicum munus, magni autem momenti pro bono societatis tam ecclesiasticae quam civilis, exercet: curam nempe gerit librorum, qui in lucem eduntur, ne quid per eos contra Religionem et bonos mores inter Christianos valeat propagari; quos existimat fidelibus noxios, hos accurate notat, vetat ac refert in *Indicem*, qui ideo dicitur *Index librorum prohibitorum*, ut ab eorum lectione, tamquam a venenatis pascuis, fideles abstineant. Aliquando tamen libri tum a Congr. S. Off., tum ab ipso Pontifice peculiaribus *Brevibus* ac *dogmaticis Constitutionibus* prohibentur, praesertim si haeresim sapiant.

6<sup>o</sup> *Congregatio S. Officii*, seu *sacrae universalis Inquisitionis.* *Suprema* dicitur, et constat tum Cardinalibus, tum Praelatis atque Theologis.

Illius est cognoscere de haeresi, necnon de haeresis suspicione, aut de aliis irreligiositatibus. A *Paulo III.* instituta, et a *Sixto V.* confirmata fuit.

7<sup>o</sup> *Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum.* Habet facultatem et munus dirimendi omnes difficultates ac dubitationes circa SS. Reliquias et Indulgentias. Constat ex numero Cardinalium a S. Pontifice determinando, et ex aliis Praelatis et Theologis.

8<sup>o</sup> *Congregatio Immunitatis*, quae Cardinalibus, paucisque aliis coalescit. Causas de Immunitate ecclesiastica sive reali, sive personali, sive locali inspicit et cognoscit.

127. — QUAER. 2<sup>o</sup> *Quid de sacris tribunalibus gratiosis et contentiosis?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Tribunalia gratiosa* tria numerantur, scilicet: *Sacra Poenitentiarum*, *Dataria*, et *Cancellaria Romana*.

1<sup>o</sup> *Poenitentiarum* est tribunal institutum ad gratias quasdam in foro interno elargiendas. Illius munus est concedere facultates absolvendi a peccatis et censuris Papae reservatis, dispensationes in votis et irregularitatibus, necnon generatim in impedimentis matrimonii occultis, ut suo loco fusius dicetur. Ad ipsam pertinet etiam solvere dubia practica, seu dirimere difficultates, quae ipsi proponuntur.

Constat *S. Poenitentiarum* ex uno *Poenentiarum maiori* de Collegio

Cardinalium, et *Poenitentiarum minoribus* ex diversis religionibus assumptis. Hanc S. Congregationem reformavit *Pius IV.*, an. 1562, et reformationem S. *Pius V.* explevit.

2<sup>o</sup> *Dataria* sic appellata est ex stilo in Cancellariis consueto, eo quod *datam*, seu epocham gratiae concessae notat. Est amplissimum tribunal ratione negotiorum quae ad illud referuntur, et gratiarum quae ab eo prodeunt. Procedunt enim exinde Ecclesiarum Cathedralium erectiones, uniones, divisiones, suppressiones, novorum canonicatum vel dignitatum creationes, beneficiorum reservatorum collationes, et impedimentorum matrimonii publicae dispensationes.

*Dataria* constituitur ex *Datario*, qui *Prodatarius* nuncupatur, si Cardinalis, ut fere semper fit, *Subdatario*, et pluribus subalternis officialibus.

3<sup>o</sup> *Cancellaria* inter *gratiosa* tribunalia omnino eminet. Est Pontificis tribunal, per quod litterae Apostolicae conficiuntur, scribuntur et expediuntur. Origo illius officii non est certa. Officium illud primariae dignitatis est, et eius Cancellarius caeteros aulae Romanae ministros praecedat. Plures sub se officiales habet, quorum aliqui sunt *Praelati maiores*.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Inter tribunalia *contentiosa* primum tenet locum *Rota Romana*, de qua admodum pauca referemus. De eius origine et nominis ratione non satis constat. Est autem *Rota Romana* tribunal pontificium, institutum ad cognoscendas et decidendas causas contentiosas ex toto orbe catholico ad curiam Pontificis delatas. Iudices, ex quibus constituitur hoc tribunal, sunt duodecim ex diversis Ecclesiae partibus assumpti. Hos inter, octo sunt Itali, duo Hispani, unus Gallus, et alter Germanus. Sic ex Constitutione Sixti IV. Hi omnes *auditores Rotae Romanae* dicuntur, eo quod, ut aiunt, olim fuerint meri causarum auditores et relatores, non autem proprie iudices.

128. — QUAER. 3<sup>o</sup> *Quid de Bullis, Brevibus et Rescriptis pontificiis?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Bullae* sunt quaedam Romanorum Pontificum Constitutiones, quae graviora, ut plurimum, negotia respiciunt, et in Cancellaria apostolica membranibus subfuscis et crassioribus, caractere *Longobardico*, seu *Teutonico*, exaratae, expediuntur. *Bullae* dicuntur a sigillo vel plumbeo vel aureo, exhibente hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis, quod inhaeret funiculo serico vel cannabis (1).

(1) Nunc ex motu proprio Leonis XIII. die 29. Dec. 1878. *character teutonicus* (vulgo *bollatico*) in litteris Apostolicis sublatus et abolitus est, substituto communi caractere latino super charta

*pergamena*, ut in more est. Item sigillum seu numisma plumbeum cum adiectis cordulis servandum est tantum in Apostolicis litteris collationum, erectionum et dismembrationum Benefi-



Varia nomina ex variis obiectis sortiuntur. Aliae sunt *gratiosae*, quae *gratiae* collationem continent. — Aliae *iustitiae*, quae *iustitiae* administrationem respiciunt. — Aliae *consistoriales*, quae in *Consistorio* expediuntur. — Aliae *dimidiae*, quae a Pontifice nondum consecrato feruntur, et in sigillo non exhibent eiusdem nomen. *Bullae* citantur vocabulis quibus incipiunt. *Bullaria* dicuntur Bullarum collectiones.

2<sup>o</sup> *Brevia* dicuntur quaedam Romanorum Pontificum Constitutiones pro negotiis ut plurimum levioribus. Per *Secretarium Brevium*, membranarum albis atque subtilibus, latino eoque nitido caractere conscriptae, expediuntur. Sigillum habent cerae rubrae in quo impressa est imago S. Petri piscationem agentis, et ideo dicuntur expedi sub *Annulo Piscatoris*.

3<sup>o</sup> *Rescripta* vocantur rogatorum Pontificum responsa. Duplex illorum genus. Alia instar *Epistolarum familiarium* feruntur, quae dare solent Summi Pontifices sive cum orantur ab iis quibuscumque habent peculiarem amicitiae relationem, sive cum de consilio tanquam viri docti et pii rogantur; nec iis ulla vis obligandi inest, utpote quae magis ex animi comitate quam ex vera auctoritate procedant. — Alia instar *Decretorum* a Pontificibus, tanquam S. Petri successoribus, et Ecclesiae universalis Pastoribus atque Magistris feruntur; ac proinde illis vis inest maxima, cum per ea ius pontificium et suprema iurisdictio exercentur.

*ciorum maiorum nec non in aliis S. Sedis sollemnibus Actis. In reliquis subrogatur impressio rubri coloris sigilli noviter conficiendi referentis imagines Apostolorum Petri et Pauli, in inscriptione nominis regnantis summi Pontificis circumducta.*

Scilicet quaesitum est: an decreta a S. R. C. emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae, eandem habeant auctoritatem ac si immediate ab ipso ss. Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati suae... Responsum est « affirmative » S. R. C. 23. maii 1846. approbante SS. Pont. 17. Iul. 1846. Porro *formiter edita* habenda esse decreta et Responsiones in authentica Collectione Gardell. inserta, edixit S. R. C. 6. Sept. 1854. « Decreta vero S. R. C. quae etsi non prostent in Gardell. editione, constat tamen esse authentica eandem habent auctoritatem, quam

retinent illa, quae leguntur in dicta editione; dummodo haec decreta, extra collectionem Gardell. posita, non sint opposita decretis posterioribus in eadem collectione contentis. » S. R. C. 10. dec. 1870. Quod vero, spectat ad extensionem de casu ad casum, aliter res se habet ac Auctor docet, nisi loqui is velit de casibus identicis. Nam interrogata S. R. C. « an decreta, Indulta, decisiones S. R. C. datae vel dandae in casibus particularibus applicabiles sint in *similibus* casibus, quasi essent pro ubique decisae, eo vel magis quia S. ipsa Congr. id innuere videtur, quando propositis dubiis respondere solet, *dentur decreta, iuxta alias decreta, provisum in una etc.* »: respondit ipsa S. R. C. « Negative et semper recurrendum in casibus particularibus ». 8. Apr. 1854. Idem ergo multo magis valebit in responsis aliarum CC. de quibus A. loquitur in Resp. 2., ubi altera sententia est praefenda.

129. — QUAER. 4<sup>o</sup> *An vim legis habeant Epistolae pontificiae, et responsa in corpore Iuris non inserta?*

*Resp. Affirm.*, si de earum authenticitate constet, et sufficienter promulgatae sint, scilicet si eo modo publicentur quo leges publicari solent, vel si ex usu et sensu Ecclesiae universalis iam a pluribus saeculis habeantur pro authenticis, et sufficienter promulgatis. — S. Lig. n. 106. — *Hom. apost.* n. 34.

130. QUAER. 5<sup>o</sup> *Utrum vim legis habeant SS. Congregationum Declarationes et Decreta?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Decreta et Declarationes S. Congr. Rituum ut oracula ipsius Pontificis habenda sunt: sic ex Bulla Sixti V. *Immensa*, et ipsius S. Congregationis decisione 23 Maii 1846., quam Pius IX. approbavit confirmavitque. Huiusmodi Declarationes et Decreta *etiam in similibus casibus* obligare tenet communissima sententia, cui S. Congregationis et Tribunalium Urbis favet iurisprudencia.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Caeterarum vero Congregationum Declarationes ac Decreta, tanquam leges obligant in casibus particularibus, pro quibus fiunt. Utrum *in similibus casibus?* controvertitur. Alii cum Benedicto XIV. affirmant, ea stricte obligare in omni casu, modo munita sint sigillo et subscriptione Cardinalis Praefecti, et Pontifex consultus fuerit. Et haec est sententia communior et probabilior. — Alii vero negant, et dicunt ea non obligare, nisi de mandato Pontificis fuerint edita, et pro tota Ecclesia evulgata sint ita, ut Papa declaret se velle, ut ea ab omnibus fidelibus serventur; quibus tamen tantam auctoritatem tribuunt, ut privatorum quorumlibet sententiae eadem praeferant, neque deserenda nisi ob gravissimas rationes putent. — Bouvier (2).

(2) S. Alphonsus (Lib. 1. n. 106.) utramque sententiam aequae probabilem habet, nec pauciores sane pro secunda, quam pro prima, doctores allegat. Sed et illud scite addit cum Laymann, quod in dubio, an ipsa habeant vim obligandi, certa non potest obligatio urgeri, licet magnum illis pondus utique sit tribuendum.

Accedit et gravior pro secunda sententia ratio, quod nempe facile non sit, ideoque nec semper tutum, sententiam S. Congregationis ad casus similes transferre. Non enim clare constat, quanam ratio ad hanc potius quam ad illam sententiam S. Congregationem permoverit, praesertim quod eadem de re sententiae plane oppositae,

pro circumstantiarum nimirum diversitate, a S. Congregatione prodierint. Cum ergo difficile sit nosse, quanam circumstantiae ad sententiam impulerint, eo ipso sententiae ad alios casus translatio fallax esse facillime potest. Ita, v. gr. inani prorsus labore quidam S. Congr. sententias con-gesserunt, ut evincerent, invalida esse generatim haereticorum matrimonia, quae clandestine celebrantur in locis, ubi Tridentinum decretum ea de re promulgatum fuerat: cui quidem opinioni Pius VII. in literis ad Archiep. Mogunt. datis 8. Oct. 1803. *vix aliquem probabilitatis gradum* concedit. Hallucinationis nempe causam prodit Benedictus XIV. (*In Declarat.*



Advertit S. Ligorius huiusmodi Declarationum promulgationem fieri posse multiplici modo: nimirum sive de speciali mandato Pontificis, sive per usum plurium annorum, vel relatione Auctorum eas communiter referentium (3). — S. Lig. *Elench. Retract.* 2<sup>a</sup> serie, p. 2. — Scavini, *de Leg. c. 4.*

## ARTICULUS II. — DE LEGE CIVILI.

131. — Lex seu ius civile est collectio legum vel decretorum Principum temporalium, quibus ad bonum commune societas dirigitur.

an. 1741. circa *Holland. matrimon. §. 2.*), quod isti non adverterint, eas decisiones seu decreta lata fuisse *in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis*: quae sane decreta (ut ipse monet *De Synod. Lib. 6. Cap. 6. n. 4.*), *ne inter se quidem conformia semper fuerant propter varietatem circumstantiarum, quae modo in una facti specie aderant, modo in altera desiderabantur.*

Aptius tamen alii in hac quaestione distinguunt Declarationes mere *comprehensivas* ab *extensivis*. *Comprehensivas* dicunt, quando sensus legis declaratus a propria et usu recepta significatione non recedit, adeo ut sit secundum tenorem proprietatemque verborum legis, eamque interpretetur tantum. *Extensivas* vero, si a propria illa verborum significatione recedant, et ultra id, quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid decernant, prohibeant, dispensent, etc.

Porro si 1<sup>o</sup> mere *comprehensivae* sint, prout voluerunt Pius V. et Gregorius XIII. et 2<sup>o</sup> datae sint consulto prius Pontifice, huiusque nomine in litteris expresso, ac 3<sup>o</sup> in forma authentica producantur, nempe cum S. Congregationis sigillo, atque Card. Praefecti et Secretarii subscriptione, ut voluit Urbanus VIII; tunc habendae sunt authenticae, atque adeo vim legis habent non solum quoad eos, quibus responsa dantur, sed etiam quoad alios. Neque obstat, quod eiusmodi declarationes non promulgentur solemniter. Nam declaratio mere

comprehensiva specialem et solemnem promulgationem non requirit, quippe quae non condit ius novum, sed iam conditum et promulgatum mere explicat. Quod si non ad omnium notitiam ipsa provenit, hoc tantum inde sequetur, ut qui contra explicatum legis sensum agit, tum a culpa tum a poena ob ignorantiam sit excusandus, donec declaratio ipsi innotescat sive ex authenticis S. Congregat. litteris, sive authentico earum exemplari, sive relatione fide digna, prouti scilicet fit de aliis legibus.

Si vero Declarationes sint *extensivae*, eiusmodi, v. gr. sunt plura decreta de celebratione Missarum aut de Reformatione Regularium, hae vim et auctoritatem legis non habent, nisi fiant ex speciali Pontificis mandato et legitime promulgentur. Ratio perspicua est quia hoc ipso, quod non continentur verbis legum proprio sensu acceptis, iam sunt novae leges, quae in declarante requirunt legislativam potestatem. Atqui S. Congregatio ex sui institutione potestatem utique interpretandi, non autem leges condendi habet. Ergo. Conf. Pichler (*Prolegom. n. 46.*), Schmalzgrueber (*Dissert. Prooemial. n. 373.-377.*), et Reiffenstuel (*Prooemial. in Ius Canonicum n. 130-134.*)

(3) Quando, iuxta dicta, Declarationes eiusmodi sint, quae *legitima promulgatione* indigeant, haec autem habita numquam fuerit; etsi ab auctoribus communiter referantur, hoc tamen non sufficiet ut ipsis vis obligandi accedat.

Singulae nationes, seu communitates politicae, proprias habent leges, quibus reguntur. Sed ius duplex praesertim distinguimus, scilicet: *Romanum* seu commune, et *Gallicum novum*, quod etiam nonnullis aliis guberniis magna ex parte commune est.

I. *Ius Romanum*. — Ius Romanum dicitur *commune*, quia vim fere ubique habuit ad nostra usque tempora. Magno autem in honore semper habitum est, tanquam exquisitum, et *quasi ratio scripta*.

Continetur in celeberrimo Codice, seu corpore Iuris civilis, edito Iustiani iussu. Hoc volumen in quatuor partes distribuitur.

In 1<sup>a</sup> parte sunt *Institutiones Iustiniani*, quae, quasi rudimenta et elementa pro tironibus Iuris civilis, quatuor libris continet.

In 2<sup>a</sup> parte sunt *Digesta* seu *Pandectae*, quae in 50 libros distribuuntur (\*).

In 3<sup>a</sup> parte est codex, vocatus *Repetitae praelectionis*, in 12 libros divisus (\*\*).

In 4<sup>a</sup> parte continentur 68 *Authenticae* seu *Novellae*, quae numerico ordine designantur (\*\*\*) .

132. — II. *Ius Gallicum*. — Ius Gallicum novum a paucis annis existit; Gallia enim maxima ex parte iure communi ante Napoleonis tempora regebatur. Ius novum continetur in codice vulgo dicto *Code Napoléon*.

Quinque sunt illius partes, seu codices particulares: 1<sup>o</sup> codex *civilis*; 2<sup>o</sup> codex *processus civilis* (de procédure civile); 3<sup>o</sup> codex *commercii*; 4<sup>o</sup> codex *instructionis criminalis*; 5<sup>o</sup> codex *poenalis*. His accesserunt plures alii codices minores, minorisque momenti: nempe codex *silvarum* (code forestier), — codex *agrorum* (code rural), — codex *municipii* (code municipal), etc. Res singulae, in singulis codicibus contentae, in breves et claros articulos distribuuntur, numerisque arabicis indicantur, ideoque facillime inveniuntur. Insuper multae sunt leges, quae in tabulis vulgo dictis *Bulletin des lois*, inscribuntur et asservantur.

## CAPUT III.

## DE LEGE POENALI ET IRRITANTE.

## ARTICULUS I. — DE LEGE POENALI.

133. — Lex poenalis ea est, quae non obligat ad actum, vel ad omissionem, nisi sub poena temporali, id est ad acceptandam poenam ut iustam.

(\*) Digesta continent responsa seu sententias Iurisconsultorum, quibus vim legis tribuit Iustinianus.

(\*\*) Codex continet rescripta Principum,

quae ex se vim legis habent.

(\*\*\*) Harum auctor est Iustinianus easque edidit, ut quod deerat in cetero corpore iuris, suppleret.